e-codices

laboriosa et erumnis plena. De hac ergo civitate florebunt. et transibunt ad illam quae est plena gaudii et securitatis.
Si vero civitatem societatem hominum quis intelligere noluerit. foenum terrae claritatem et felicitatem mundi accipie-
mus. de qua innumerae multitudines ad Christum ad fidem Christi conversae sunt. Sit nomen eius benedictum in secula. Nomen eius
id est Christi Iesu. benedictum est in eternum. quia in eo omnes electi benedicuntur et salvantur. Ante solem permanet nomen eius. Nomen Iesu
Christi ab angelo virgini in tempore nuntiatum est. sed ante solem. id est ante omnem creaturam visibilem seu invisibilem ante omne
tempus. et quod est in tempore permanet. Semper enim Iesus est. id est salvator. qui non ex tempore coepit salvare. sed est antiquissimus salvator.
Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae. Sicut ad Abraham dictum est. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Omnes gentes
magnificabunt eum. id est laudabunt et magnum predicabunt. Hoc iudei cotidie legunt. et obcecati non credunt. Benedictus dominus deus israhel
qui facit mirabilia solus. Consideratis omnibus quae superius dicta sunt velut tripudians. subito eructat hymnum iubilationis. bene-
dictum vociferans dominum israhel id est omnium fidem dominum contemplantium. Qui facit mirabilia solus. Solus inquam. quia et si sancti mirabi-
lia faciunt ipse in eis et per eos facit. qui dicit sine me nihil potestis facere. Et benedictum nomen maiestatis eius in eternum. Nomen
maiestatis eius dicit. nomen christianum a Christi nomine deductum. quod sua veneratione et maiestate terminos totius orbis conplevit.
in quo nomine quae benedicendi sunt. benedicentur in deo amen. Et replebitur maiestate eius omnis terra. Ecce dominatur eius. qui
coepit a flumine et pervenit usque ad terminos orbis terrae. Fiat. fiat. Impletur cotidie. et impleatur usque in finem.

Omnes psalmos .CL. novimus a David fuisse cantatos. Quid est ergo quod adhuc in medio pene operis dicit defecisse laudes David
filii Iesse. Pro terreno imperio iudaici populi ponitur. qui rex et propheta feliciter regnum illud administravit. Illo ergo tempore terrenae promis-
siones sic fiebant illi populo cui preerat David. ut si deo servire vellent. liberarentur ab hostibus suis. et bonis affluerent omnibus. et haec promissio-
ne habebant. pro quibus accipiendis laudabat dominum populus ille. cuius rex erat David. Unde bene filius Iesse dicitur. quod nusquam superius
legitur. ut non Christum hic. sed filium Iesse David id est hominem intelligamus. qui strenue regnum terrenum gubernabat pro cuius prosperitate et gloria po-
pulus ille deo serviebat. Quia ergo deficiente gloria temporali per quam dominum laudabant. defecturae erant et laudes quae pro bonis temporalibus deo
reddebantur. et successura erat ecclesia quae pro adipiscendis eternis bonis dominum laudare et fideliter illum diligere inciperet. Recte
dicuntur defecisse laudes David non filii dei. sed filii Iesse. Defecerunt enim et mutatae sunt in melius. quia iam sancta ecclesia non temporalia et caduca
sed manentia et eterna requirit a deo. Iesse interpretatur insulae sacrificium. quae interpretatio illud ostendit. quod mobilis et fluctivaga erat
temporalis prosperitas per quam saepe dictus populus deo serviebat cuius rex erat David. Psalmus Asaph. Asaph interpretatur synagoga illa videlicet
quae deum pie colebat. de qua Paulus dicit. Non reppulit deus plebem suam quam praescivit. Loquitur ergo propheta ex persona populi
dominum fideliter colentis. sed turbati et stupentis. cur deus malos in presenti prosperis successibus florere permittat.

Quam bonus israhel deus. his qui recto sunt corde. Asaph iste id est synagoga fidelium intellexerat. quia non tantum laudandus est deus pro rebus tempora-
libus. sed multo magis pro eternis. Nam qui pro terrenis tantum laudat dominum. cum defecerint res terrenae cessabit laudare. cum his non mul-
tum bonus deus. Quibus ergo videtur bonus deus. utique rectis corde et fidelibus qui in prosperis et in adversis laudant. et possint dicere. Semper
laus eius in ore meo. Mei autem pene moti sunt pedes. Asaph id est synagoga fidelium loquitur ex persona eorum. qui in illo populo pro terrenis
commodis dominum colebant. qui videntes peccatores. impios et blasphemos in superbia vivere. rebusque omnibus abundare. nutabant
et pene labebantur pedes eorum. Pedes enim. nisi dicti arbitrium et iudicium rationis. Et dicit commotum. sed a vero intellectu de-
viasse. Sanctum dicit pene. quia turbatum se quidem. sed cito ad veritatem redisse ostendit. Pene effusi sunt gressus mei. id est actus bonae con-
versationis effusi id est prolapsi sunt. dum attenderent ingratis et malis tanta bona concedi. Quia zelavi super iniquos pacem pec-
catorum videns. Exponit causam cur gressus eius pene fuerant effusi. pro zelo quodam ductus. invidebat peccatoribus felicita-
tem praesentis temporis. Nullus enim iustorum ignorat. quod deus in praesenti non semper tribuit quae merentur. sed reservat in futuro. Et
idcirco eos nunc ad horam florere permittit. ut eos in futuro gravius puniat. Sinit eos letari ad tempus. ut in eternum lugeant.
Quia non est respectus morti eorum. id est quia non statim peccantes die urgentur extremo. et quasi non respicit deus. ut eos digna morte
condempnet. Aliter. Mors malorum peccatum est. Huic morti non est respectus. cum peccare permittuntur. Sequitur. Et firmamentum in
plaga eorum subaudis non est. Licet enim nonnumquam aliqua infirmitate et tristicia tangantur. non tamen permanet firma pla-
ga eorum. sive non est firmamentum in plaga eorum. id est sanitas in peccatis eorum. Dum enim in eo gaudere eligunt et veniens flagellari
refugiunt. eorum semper crescit superbia dum dei patientia abutuntur. putantes deum aut non videre quae faciunt. aut visam

X

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 154 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/154)